

peregrini mundum pervagans cuncta perlustrabat. Pacificus fuit, mitis et paciens, adeo quod nonnunquam sua benignitate inimicis suis causam prestitit rebellionis. Tempore suo cruces de celo cadunt et alia insignia passionis Christi. Philippum habuit filium et Margaretham ex Maria Burgundiana. Philippus autem Hyspanie regis filiam uxorem ducens, Karolum et Verdinandum filios ex ea habuit, sed immatura morte preventus obiit in Hyspania. Maximilianus autem post multa preclarissima gesta et adversa tollerata devotissime et christianissime obiit in Austria, in Civitate nova sepultus, anno etatis sue 61, regni sui 33, anno vero Domini 1519, 12. die Januarii.

Cesar Maximilianus valde liberalis fuit et magnificus, hancque consuetudinem habuit, ut quociens declinaret ad oppidum Faucense, semper dispensaret cum abbate et conventu super esum carnum, dans gratis suis sumptibus propriis bovem vel duos, juxta quod sibi competere videbatur, cibans nichilominus conventum ex coquina sua, et potans ex cellario suo. Et cum a. D. 1516 hospitaretur in castro Faucensi, descendit ad domum domine Gossenbrottin ibidem se balneans, ac interim ordinans ut totus conventus coram eo appareret. Expectantibusque fratribus omnibus in ambitu, venit imperator pedester ex domo Gossenbrottin, transiensque per ambitum versus ecclesiam, singulis fratribus manum tamquam amicus amico porrigebat, quam et singuli (prout decens erat) deosculabamur. Deinde fecit sibi missam seu officium decantari per fratres de octava commemoracionis sancti Benedicti. Ecce quanta humilitas et devocio hujus piissimi imperatoris! Germania talem numquam habebit.

Karolus, Philippi regis Hispanie filius, Maximiliani cesaris avunculus (sic) et ipse archidux Austrie etc. a. D. 1519 ab electoribus Franckofordie circa festum penthecostes in imperatorem eligitur. Ceperat jam pullulare et succrescere Lutheriana heresis in Germania, quam exterminare volens edicto strenuissimo inhibuit, ne quisquam huic heresi adhereret aut faveret. Sed quia imperator ipse Hyspaniam repetere coactus est, ideo nemo fuit vel saltem paucissimi ex Germanie principibus, qui edictum hoc exequeretur. Unde Lutherus vires assumens omnes infecit. Est autem iste Karolus inter imperatores hujus nominis quintus, quem etiam quidam Karolum maximum vocant ob amplissimum dominacionis ejus titulum. Hic duxit uxorem Loliopam, Heinrichi regis Anglie filiam.

---